PROSPHONESIS
AD
SERENISSIMVM
&
CELEBRATISSIMVM
Regem
IACOBVM I.
Magnum Magnæ Britanniæ
Franciæ & Hiberniæ
MONARCHAM:
FIDEI DEFENSOREM,
ALTERVM LITERARVM
AC LITERATORVM
MECŒNATEM:

à
PETRO FRADELIO SCHEMNICENO f.

ANNO
COR REGIS PROBI IN MANV
DEI EST, FVIT ET ERIT.

LONDINI, 1616.

DEDICATORIVM
AVTORIS.

OScula cuî ſupplex fixi, REX *optime, dextræ,*
Huîc ego nunc gratus paucula metra fero.
Hoſtia nulla mihi eſt, tua qua ſacraria donem:
Carmina deuoti ſint holocauſta animi.
Carmina ſi tantum tibi ſint te digna dicanda;
Crede omnis vatum Grex prope mutus erit.

AD
POTENTISSIMVM
REGEM
IACOBVM I.

INclute Rex, noſtri Decus admirabile ſeculi:
Alphaque Doctorum, quos ſcio in orbe, Ducum!
Quando Palatinus peteret ſacra Vincula Lecti,
Non tacui Genij magna talenta tui.
Phœnicem aſt Regum te vt præſens conſpicer: Eheu
Quanta ſali exhauſi! quanta pericla ſoli!
Ergò iam pridem de te quid ſentio, dicam:
Dicam ſed celeri, (tu mihi parce) chely.

Exoticos ex quo per tœdia mille, receſſus
Luſtroque difficili Regna aliena via:
Vidi ego tam varias laudati Nominis Aulas,
Lautitijſq; ſuis, Lætitijſq; ſuis.
Fortia ſunt vbi tot generoſaq; pectora, plures
Belligeriq; Duces, Doctiloquiq; Sophi.
Tot donis mentis, tot corporis ornamentis,
Quos potis eſt Calamus non numerare meus.
Æquiparanda tuæ ſed quæ ſit in omnibus, Aula
Anxius heu dubito, num mihi viſa prius.
Alma Themis regit hanc, tegit hanc Prudentia rerum,
Auſpicijſq; bonis, Conſilijſq; pijs.
(Conſcripti Patres, animi tot dotibus aucti,
Lumina cara choro: Lumina clara foro.
Ordine quæ nuper, numeroſoq; agmine vidi:
Acta fuit trepidi cum noua cauſa Rei.)
Geſtando hanc humeris velut alter dirigis Atlas,
Rex bene note ſolo: Rex adamate polo!
Sedulus ipſe caues ne Marspiter improbus aſtu
Hanc violet, rigida ne laceretq; manu.

In te res omnes, Patriæq; archiua recumbunt,
Iure fouere bonos, plectere & enſe malos.
Cum PROCERES ſummi perpendunt pondera rerum,
In quibus & Regni ſtat, Patriæq; ſalus:
NESTORIS inſtar habes, cum percutis aëra lingua
Atq; cient grandes labra diſerta ſonos.
(Tunc mens in pretio eſt, & habet ſapientia laudem
Pectus vbi ſocia nititur oris ope.)
Non in perniciem patriæ tua fulmina vibras
Verborum; potiùs commoda multa paras.
Sub te doctrinæ, quem dicunt, Circulus omnis
Floret, & in pretio doctus habetur homo.
(Scilicet hæc veſtræ diuinitùs inſita genti
Eſt virtus: artes, vt foueatis ope.)
Non DEVS imperium demandat inertibus: haud eſt
Omnis ad hoc tantum factus & aptus onus.
Te ſcimus magnis traxiſſe Parentibus ortum,
E Muſis maius ſed tibi ſtemma fluit.
Maxima ſed PIETAS, & veræ inſignia Laudis
Vendicat, haud vnà concelebranda Lyra.
Tu tribus his clares titulis, ter maximus inde
Ter meritò felix, ter venerandus eris.
Te colit hinc quiuis: Nam Res ea publica floret
Cura Magiſtratus cui pia nauat opem.
Qualiter in morbis ad pectus flamma caloris
Cum redit igne ſuo, languida membra fouet:
Et coquit humores dulces, ſuccumq; ſalubrem,
Quem mox in Corpus tranſvehat omne, iecur:
Taliter ipſe ſuæ PRINCEPS vbi commoda gentis
Tractat, ibi Pax eſt, plebs opibúſq; viget.
Conſulit in medium PRINCEPS, populumq; beatum
Efficit, ac veluti cum grege PASTOR, agit.
Exemplis quod tot REX ô memorande probaſti,
Cum velut in ſpecula ſis Theatroq; ſitus.
Cumq; tui NATI delectet GLORIA Ciues:
Quò tua magna magis Gaudia Patris erunt?
Summus Honor tuus eſt, ac eſt in honore voluptas,
Laudibus ac NATI lætior eſſe potes.

Aſt ego te potero cum ſat celebrare canendo,
Aduerſans altis montibus ibit aqua.
Nec tua cantabit dignè prœconia quiſquam,
Non ſi Mœonides viuat & ipſe MARO.

Si tamen in veris fas est mihi dicere verum:
Es XENOPHON nostri temporis: es SALOMON.

II.

IN NEFARIOS
REGIS MITISSIMI
INSIDIATORES.

Sœpè ego mirabar tantum cur perfida REGEM
Puluere FEX satagas perdere sulphureo?
Hinc Cellam ingressus, perrepsi viscera Terræ,
Hinc fleui lacrumis Fulmina structa meis.
Sic benè lugenti PHŒBVS mihi vellicat aurem
Dicens: Hæc nunquam res ratione caret.
Nescius vt non sis, celebratus acumine mentis
REX est, pacificæ doctus in arte togæ.
Hicce implet numeros præclari PRINCIPIS omnes,
PALLADIS immensum est, CASTALIDVMQVE Decus.
Hic referat fraudes BABYLONIS SCHISMATA, doctâ
Hic scit subtiles soluere & arte dolos.
Ad quantum Autores nouit venêre Cacumen,
Iudicij magna dexteritate sui.
Siue viam ad Cœli monstrent Templa aurea, nosq;
Numinis informent relligione sacri:
Siue æquà doceant trutinari iura bilance,
Ac veluti par est, reddere cuiq; suum.
Romulidis, Gallis, Germanis notus Iberis,
Pannonijs, Bœmis carus & hic Morauis.
Patria cui debet veteri quod ROMA Camillo:
Applausus populi qui mereatur, hic est.
Arma, minæ, contra hunc cani nil Bella Beani
Efficiunt cerebro nil gladióq; suo.
Hic Calamo quantum præstet, Genioq; sagaci
Concio rasa probet, ROMA superba probet.
Plebs Phariſæa probet, Vos dicite ventri potentes
Et lepidi FRATRES Cardineiq; PATRES.
Scilicet hic verè est vestras qui tangit & angit
Cristas, qui frangit cornua vestra, GIGAS,

Tantum ad me PHŒBVS : Causa hæc est tollere REGEM
E medio vitæ cur voluêre pium.
Mox ego me vertens ad tanti PRINCIPIS Hostes,
Incœpi haud trepidis fundere verba modis:
Nil mirum est REGEM vos perdere velle potentem,
SAL est in oculis, FEL simul in loculis.
Offerat aureolos vobis si REX IACOBOS:
Credo ego sat gratus REX IACOBVS erit.
Sit licet hic largus, Loculos tamen improbat illos,
Sat pingues nouit quos tumidosq; prius.
Qui neminem lœdit, clementi parcite REGI,
Qui scit subiectis parcere sœpè suis.
Hæc illi innata est diuina atq; incluta VIRTVS,
Posse nocere quidem: nolle nocere tamen.
Summaq; prosperitas est Hosti parcere posse,
Hoc magni donum dixeris esse DEI.

Symbolum Regium.

Pacificos amat hic, quos prædicat esse beatos,
Grata huîc PAX non PIX, est, erit, atq; fuit.
CHRISTVM amat, atq; docet, legit, audit, credite CHRISTVM,
Hic didicit quicquid Pagina sancta probat.
Illi non hominum aut Furiarum Turma nocebit,
Cui DEVS almus adest DVXQVE Comesq; viæ,
Non Comites cupiet, non ille requiret ACHATES,
Cui IOVA sit Comitis præsidijq; loco.

Dieu & mon droict.

Huîc DEVS & LEX est certissima Regula vitæ:
Cumq; DEO LEGEM hic vult retinere Gregem.
Discite tot pœnis vnctum non tangere REGEM,
Nec Domino charum frangere velle Caput.
COR REGIS summi conseruat dextera REGIS,
Quem fulcit manus hæc, tutus ab hoste manet.
Spernite si sapitis falsæ mendacia Linguæ,
Et fugite vt pestem τὴν πολυπραγμοσύνην.
Fulmine si quis quid, si quicquam puluere tentet:
Fulmine tactus ceu Puluis & vmbra cadet.
Vltor ab astrigero namq; omnia cernit Olympo,
Detegit hic technas, punit & ipse dolos
Offensor fidei, quantum vult, garrulus instet,
DEFENSOR FIDEI REX manet vsq; suæ.

Hinc abiens, tales taciturno pectore voces
Fudi: SIT MAGNO Gratia magna DEO.
ANGLORVM Phœbum qui sic, sobolemq; Parentis
Incolumes seruet, protegat atq; regat.

VO-

VOTVM.

VIue grauis NESTOR ter centum NESTORIS annos,
Exſpectans Muſæ munera plura meæ.
Nomen ALEXANDRI ſibi Nomen Choerilus auxit,
Me quoq; laude tua Nomen habere ſinas.

III.

SIt compos ſtellæ, qui vult, compoſq; IACOBI
Serpat ad hunc manibus, currat ad hunc pedibus:
Ad quem vel nudus, (proprijs vix oſſibus hærens
Vix ſpirans) celerem deproperetq; viam.
Inde ferat Ceras, Sphæras ferat inde rotundas,
Ante illas, quas ſcit, muſſitet atq; preces:
Illius & BACVLVM centeno murmure adoret,
Fors baculo dignus, fors ferulaq; noua:
Te quando intueor REGEM, magnumq; IACOBVM:
Illo plus felix plúſve beatus ero.
In te tot video virtutum ſigna piarum,
Vnde redux venio doctior & melior.
Ergò IACOBE tuus baculus me dirigat opto:
Sic benè ſoſpes ero: ſic benè ſanus ero.
Sis mihi SOL ſplendens, ſis lucida ſtella IACOBE:
Sic curo tenebras nil ego Cimmerias.

Celſiſſimæ Maieſtati tuæ

deuotiſſimus,

PETRVS FRADELIVS Schemnicenus.